



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De
Expedita Ad Dei Amorem Via**

Comalada, Miguel

Elvaci, 1685

Cap. XI. Ut Desiderium Dei ad hunc edendum fructum Desiderium
præparârit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

queamus. Hic verò si quis plùs inde sumere velit, quàm ejus possit ferre stomachus, detrimentum potiùs quàm utilitatem inde reportabit. Unde necesse est, fructum hunc ut parcè ac moderatè sumamus, donec eò perveniamus, ubi eodem ipso, quem hìc gustamus tantùm, abundè in omnem æternitatem nos expleturi sumus.

Ut DESIDERIUM DEI, ad hunc edendum fructum Desiderium prepararit.

CAPUT XI.

DESIDERIUS. Obsecro, mi Domine, ut fructùs hujus, quantum ipse voles, mihi edendum præbeas. **DESID. DEI.** Principio quidem, cùm fructus iste non nisi mundo contineatur vase, opus est, dentes ut purges tuos, osque & oculos, & faciem, manus ac pedes be-

K 3 nè

ne abluas. DESID. Ubi aquas obtinere licet? DESID. DEI. Equidem ad fontem vivum te perducam, noctu diuque scaturientem, cujus est vocabulum, SACRA RELIGIO: simulq; domus hujus convocabo virgines, quæ te lavabunt ac purificabunt. Placuit ea res Desiderio, lætusque virginum sustinebat adventum: atq; ecce vidit Desiderium DEI eas secum adducere, ipsique dicere: Hætenim virgines abluent. Prima ex his dicitur Dulcedo, altera Goncordia, tertia Pietas vel Condolentia, quarta Gratia, quinta Clementia, sexta Indulgentia, septima Misericordia, octava Benevolentia, nona Benignitas, decima Tolerantia, undecima Tranquillitas, duodecima Securitas, tertiadecima Gaudium, decimaquarta Discretio vel Moderatio, decimaquinta Devotio, quæ quidem condimentum quoddam præbebit tibi, quod edendi appetentiam excitabit, quo

quò tantò libentiùs & delectabiliùs fructum hunc edas. Siquidem idem ipse fructus non nisi esurientibus præstatur, fastidiosi autem dimituntur inanes. Decimasexta virgo est Religio, decimasextima Perseverantia, decimaoctava Oratio, decimanona Honestas. Extremus denique ego sum, nempe Desiderium DEI, semperque huic adsum sacro virginum collegio sive contubernio. Et siquidem apud eas te quoque præsentem exhibueris, non mediocriter ad memoratum edendum fructum tete præparabunt: quem posteaquam comederis, semper eas comites habebis, nec te deserent, nisi eas ipse repuleris. Sunt namque nonnihil ad hunc cibum avidæ, moxque ubi fructum hunc conspiciunt, haud secùs quàm apes ad mel advolant, neque aliud certius indicium est, hoc fructu præditum esse hominem, quàm dum virgines istæ ad fores cernuntur.

K 4 sive-

fiderius, & hujus esu fructus recreatus, mirum in modum lætabatur. Cui tum Desiderium DEI: Frater mi, ait, quandoquidem jam cibum sumpisti, etiam canendum tibi est. DEI namque servi, post acceptam escam canere solent, laudes gratesque agentes DEO. Nec quisquam in his demoratur adibus, qui non sit cantandi peritus. *DESID.* Quo pacto canam? *DESID. DEI.* Eamus ad chorum, ubi cantores omnes degunt. Primus dicitur Benedictio, secundus Honor, tertius Laudario, quartus gratiarum actio. Cum his pariter cantare debebis: namque insignes Musici & artifices sunt, optimisque instructi vocibus. *DESID.* Quem me cantandi modulum servare oportebit? *DESID. DEI.* Primus cantor, ut diximus, Benedictio est, isque Discantum exprimit, benedicitque DEUM ob illius præcellam omnipotentiam. Secundus est Honor, qui Contratenoris vel Alti voce

ce

ce canit, psallitque & honore afficit
 DEUM pro illius infinita sapientia.
 Tertius Laudario est, qui voce Tenoris utens, DEI immensam prædicat & extollit bonitatem, cunctasque illius virtutes, nobilitatem & excellentiam, & quicquid is in seipso est. Quartus est Gratiarum actio, qui Bassum agens, grates canit DEO ob cuncta ab eo condita, & beneficia omnia creaturis quibuscunque ab eo collata.

*Quemadmodum Desiderius
 cantare didicerit.*

CAPUT XII.

Mirificè intereà Desiderius & modo cantandi, & cantu ipso capiebatur: aitque illi DEI Desiderium: Vide jam, utrúmne reverti velis. DESID. Quonam ire poterò, ubi meliùs sim habiturus, præsertim cum huc tanto labore & diffi-

K 5 cul-